



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 97. Innocentii XII. summi Pontificis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Universalis sacra Romam confluxerant. **Sæc. XVII.**
 Aderant inter alios Jacobus, Alexan- **A. C. 1700.**
 der & Constantinus defuncti Polono-
 rum Regis Filii, necnon Cosmus III.
 Magnus Etruriæ Dux, cui summus
 Pontifex *Regiæ Celsitudinis* titulum &
 Monticellensis Ducatus redivit, ac in-
 super sedem S. Stephani Papæ & Mar-
 tyris sanguine conspersam dono dedit:
 Eodem ferme tempore, ut Cæsari, Gal-
 liarum & Hispaniæ regibus gratificaretur,
 Romana Purpura decorabat Joannem
 Philippum Comitem de Lamberg
 Passaviensem Episcopum, postea Pres-
 byterum Cardinalem tit. S. Sylvestri,
 cujus Frater Comes de Lamberg, re-
 vocato Martinizio Comite, Cæsaris Le-
 gatus hoc anno die decima tertia Ja-
 nuarii Romam venerat, ab omnibus
 perbenigne ac honorifice exceptus.
 Alter erat Ludovicus Antonius de Noail-
 les Parisiensis Archiepiscopus Cardina-
 lis Presbyter tit. S. Mariæ ad Miner-
 vam, ac tertius denique Franciscus
 Borgia natione Hispanus, ac Toleta-
 nus Canonicus, & Calaguritanus Epi-
 scopus.

§. XCVII.

*Innocentii XII. summi Pontificis
 obitus.*

O o 3

Jam-

Sæc. XVII. Jamjam per integrum ferme annum In-
 A. C. 1700. J. noc. XII. Pontifex Maximus diuturna
 ægritudine fatigatus erat, incredibili ta-
 men animi vigore tam decrepitæ ætatis
 miserias, quam morborum violentias
 superabat, ac ineunte hoc anno Medi-
 corum solertia & ope tam firmam re-
 convalescendi spem concipiebat, ut
 sanæ mentis usu fretus per jocum non-
 nullis Cardinalibus in familiari collo-
 quio diceret, eos nimis præfestine Ro-
 mam ad sacra comitia convolasse, eo-
 rumque quosdam Pontificatus aucu-
 pandi spe turgidos, ipso adhuc vita
 superstite, mundo valedixisse: Post-
 quam autem die trigesima prima Julii
 ad propellendos immodicos solis æstus
 glaciatis fructibus vescebatur, inde in
 febrin incidit, cujus continuis accessio-
 nibus adeo consumebatur, ut quamvis
 integri sensus, cunctisque negotiis ad
 extremum usque diem par esset, die
 tamen vigesima septima Septembris non
 sine magno Urbis, omnium proborum
 ac præcipue pauperum luctu, naturæ
 debitum solvere cogeretur, postquam
 Sacris Ecclesiæ Sacramentis rite mu-
 nitus, Cardinales tum præsentibus ad
 Apostolicarum Constitutionum obser-
 vantiam, dignique Successoris electio-
 nem gravibus verbis hortatus erat.
 Annum agebat ætatis suæ octogesimum
 sextum

*Theatr. Eu-
 rop. t. 15.
 pag 857.
 Briet. An-
 nal. cont.*

sextum nondum plene expletum, Pontificatus sui nonum præter duos Menses, & quindecim dies. Corpus ejus in Basilica D. Petri reconditum fuit in simplici monumento, quod sub hac inscriptione: *Innocentius XII. P. M. electus 12. Julii MDCXCI. mortuus est An. Christi etiamnum vegetus, vivusque exstrui jussit, illud tamen plures post annos Vincentius Petra Cardinalis marmoreis statuis, aliisque ornamentis magnifice condecorari curavit.*

Sæc. XVII.
A. C. 1700.

§. XCVIII.

Hujus Pontificis gesta in Pontificatu.

Tantus virtutum cumulus, tantaque erant gloriosissimi hujus Pontificis merita, ut in ejus laudum præconiis excedere æquitas, deficere injuria foret: Primordia sui Pontificatus jamjam æternæ gloriæ memoria digna reddebat sua lege contra Nepotismum, a quo tantopere abhorrebat, ut nemo in universa Italia Nepotem, affinem aut propinquum, etsi bene meriti non deessent, ad minimum etiam beneficium ab Innocentio exaltatum, aut dono auctum numerare posset. Adeo erat æquitatis studiosus, ut Aulæ Romanæ officia pecuniis mercari severe inhiberet, & nonnisi Viros solo meritorum suffragio

*Hist. du
Tems t. 4.
num. 20.
Quesnel
Præfat. ad
mem. I.
pag. 12.
Misson.
Itiner.*